



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De mortalitate humanæ naturæ, 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

CAPVT IV.

De mortalitate humana natura.

1. **E**Cce Domine, quia lux non est, mors est: immo non est mors, quia nihil est mors. Nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et iuste quidem hoc Domine: Nam digna factis recipimus, dum ad nihilum devenimus, tanquam aqua decurrens; quia sine te factum est nihil, & nos faciendo nihil, facti sumus nihil; quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil. O Domine Verbum! O Deus Verbum, per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil! Væ mihi misero toties obcæcato; quia tu lux, & ego sine te! Væ mihi misero toties vulnerato; quia tu salus, & ego sine te! Væ mihi misero toties infatuato, quia tu es veritas, & ego sine te! Væ mihi misero toties aberrato, quia tu via, & ego sine te! Væ mihi misero toties mortuo, quia tu vita, & ego sine te! Væ mihi misero toties annihilato, quia tu es Verbum, per quod facta sunt omnia, & ego sine te, sine quo factum est nihil.

2. O Domine Verbum! ô Deus Verbum! qui es lux, per quem facta est lux, qui es via, veritas, & vita: in quo non sunt tenebræ, error, vanitas, neque mors. Lux, sine qua tenebræ; via, sine qua error; veritas sine qua vanitas; vita, sine qua mors. Dic verbum Domine, fiat lux, ut videam lucem, & vitem tenebras:

bras : videam viam , & vitem invium ; videam veritatem , & vitem vanitatem ; videam vitam , & vitem mortem . Illuminare Domine lux mea , illuminatio mea , & salus mea , quem timebo : Dominus meus , quem laudabo . Deus meus , quem honorabo : Pater meus , quem amabo : sponsus meus , cui me servabo . Illuminare (inquam) illuminare lux huic cæco tuo , qui in tenebris & in umbra mortis sedet , & dirige pedes ejus in viam pacis , per quam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei , in voce exultationis & confessionis . Vera enim confessio est via per quam ingrediar ad te viam , per quam egrediar ab invio & revertar ad te viam , quia tu es vera via vitæ .

C A P V T V .

Quid sit nihil fieri .

I. **C**onfitear ergo , confitear tibi Pater Domine cali & terræ , miseriam meam : ut me venire liceat ad misericordiam tuam . Miser quippe factus sum , & ad nihilum redactus sum , & nescivi : quia tu es veritas , & ego non eram tecum . Vulneraverunt me iniquitates meæ , & non dolui , quia tu es vita , & ego non eram tecum . Ad nihilum duxerunt me , quia tu es Verbum , & ego non eram tecum , per quem facta sunt omnia , sine quo factum est nihil : & ideo sine te factus sum nihil , quia nihil est , quod ad nihilum ducit . Omnia per Verbum facta sunt , quæcunque facta sunt . Et qualia facta sunt ? Vidit Deus cuncta quæ fecerat , & erant valde